Meyer:
De nulli=
tate sententiarum sanabili et insanabili.

AVGVSTI WILHELMI MEYERI D.

COMMENTATIO

DE

NVLLITATE SENTENTIARVM SANABILI ET INSANABILI R. I. N. DETERMINATA.

Praemissa Theoria generali de Nullitate praesertim juridica.

GOETTINGAE
Litteris FRIED. ANDR. ROSENBVSCH.
1777.



§. I.

DEFINITIO NVLLITATIS IN GENERE TRADITVR.

Omnibus rebus, quae existunt vel existere possunt, certas qualitates, seu, vt ita dicam, proprietates esse adscribendas, quibus a se inuicem discerni possunt, verum est & in natura rei fundatum principium. Quodsi vero accuratius paulo perpenderis, tunc profecto rerum qualitates duplicis potissimum esse generis inueneris. Eae enim vel ita sunt comparatae, vt, quamprimum adsint, res ipsa existere incipiat, remotis vero iis, siue in toto siue pro parte, res ipsa in rerum natura qua talis esse desinat seu nulla esse incipiat, vel eius sunt generis, vt ab earum absentia aut existentia rei ipsius existentia aut non existentia non dependeat. Priori casu *Substantialia* rei seu *Essentialia* posteriori vero *Accidentalia*

vocantur v. g. Subſtantialia quadranguli ſunt quatuor anguli recti & deinde ad accidentalia vini & argenti color pertinet. Ex notione ſubſtantialium & accidentalium *Nullitas* in genere ſic optime poteſt definiri, quod ſcilicet ſit *Abſentia ſubſtantialium ſeu eſſentialium.*

§. II.

DIVISIO NVLLITATIS ET SVBDIVISIO OSTENDITVR.

Nullitas in genere conſiderata diuiditur in *metaphyſicam*, *phyſicam* & *moralem.* Illa eſt abſentia poſſibilitatis, haec corporis. Moralis denique nullitas eſt abſentia obligationis & per conſequens etiam Iuris. Haec iterum ſubdiuiditur in iuridicam & moralem in ſpecie ſic dictam. Illa eſt perfectae haec imperfectae obligationis abſentia.

§. III.

DIFFERENTIA NVLLITATIS IN ABSTRACTO ET IN CONCRETO CONSIDERATVR.

Iuridica nullitas adeſt vel quia neque lex neque factum, quod ex legum diſpoſitione obligationem producit, exiſtit vel quia aut lex aut factum, quamuis exiſtat, tamen non ita

eſt

eſt comparatum, vt obligationes & iura ex eo oriri poſſint. Priori caſu nullitas iuridica in abſtracto poſteriori vero in concreto adeſſe dicitur. Nullitas in abſtracto ſupponit ergo, vt neque lex neque factum adſit, id eſt, vt ne quaeſtio quidem oriri poſſit vtrum obligatio adſit nec ne. Sic v. g. Nullitas obligationis vectigalia ſoluendi in iis territoriis, vbi intuitu eorum nulla legum diſpoſitio adeſt, deinde nullitas obligationis ex contractu depoſiti ante traditionem rei nullitatis in abſtracto nomine venit. Quotiescunque vero ex lege exiſtente nulla obligatio oritur, aut factum, quod exiſtit, non eſt obligatorium, toties nullitas in concreto adeſt v. g. nullitas obligationis ob metum dolum errorem cauſam dantem &c. ex lege ab eo lata, qui facultate leges ferendi in dato caſu deſtitutus eſt. Quaecunque ego de nullitate proferam, ea omnia ad nullitatem in concreto ſpectatam ſunt referenda. Nullitatis enim in abſtracto ſic dictae idea diſtinctionis gratia tradita ita eſt qualificata, vt quouis caſu facile iudicari poſſit vtrum ea adſit nec ne ideoque dicta de ea ſufficiunt.

§. IV.

NVLLITAS IN CONCRETO VEL INTVITV LEGIS VEL FACTI ALICVIVS SEV NEGOTII POTEST COGITARI.

Ex iis, quae §o antecedenti prolata ſunt ſatis patet, Nullitatem vel intuitu legis vel intuitu facti exiſtere poſſe. Eiusmodi lex, cuius reſpectu nullitas adeſt ſeu, quod idem eſt, cui deficit obligandi vis *nulla* vocatur. Si vero quaeritur, quando haec vel illa lex nulla ſit, generaliter ſic poteſt reſponderi, quamcunque legem toties omni obligandi vi eſſe deſtitutam, quoties legislatori ius eam ferendi non competit ſiue intuitu modi ſiue generis. Sic v. g. primo Leges a principe absque ſtatuum conſenſu ſubditis praeſcriptae in quibusdam territoriis ſunt nullae, ſic deinde leges criminales, ab ipſo, nullius requiſito conſenſu, latae, qui leges ciuiles tantum ferendi libera & non reſtricta facultate gaudet nullitatis vitio laborant. Facta vero quod attinet, ſi ita ſunt comparata, vt nullitas intuitu eorum adſit, *nulla* dicuntur ſeu *invalida*. Nullitas facti alicuius determinanda eſt ex legum diſpoſitione. Diuerſae vero dantur leges, aliae enim ſunt naturales, aliae ciuiles & hae iterum ſunt vel merae vel mixtae, prout leges natu-

naturales confirmant vel aliquid praescribunt, quod ex Iuris naturae principiis non modo non potest deriuari, sed & nonnunquam ipsis contrarium sit, siue naturae rei conueniat siue non. Fieri ergo potest, vt vnum idemque factum iure naturali validum ex legum ciuilium dispositione nullam obligationem producat, vel quia hisce legibus eiusmodi factum prohibitum est sub poena nullitatis vel quia quaedam intuitu eius sub conditione deficientis obligationis praescripta neglecta sunt. Sic etiam vnum idemque factum iure ciuili validum secundum iuris naturalis principia nullum dici potest, quando scilicet ex hisce legibus non potest demonstrari eiusmodi facta producere obligationem. Quaecunque ego de nullitate facti dicam, ea de nullitate eius positiua seu ciuili siue mera siue mixta sunt intelligenda. Monendum praeterea est in determinanda hac nullitate validas semper supponendas esse leges, quales quae sunt, ex iis, quae de nullitate legum paulo antea prolata sunt, facili omnino negotio potest perspici, nullitas enim legum validitati earum e diametro est opposita.

§. V.

A PROHIBITIONE NEGOTII ALICVIVS VEL FACTI NON VALET IN CASVM EXISTENTIAE AD NVLLITATEM EIVS CONCLVSIO.

Quaedam facta Iuris alicuius & obligationis conſtituendae gratia ſuscipiuntur, ſiue ab vno ſiue a pluribus idem eſt. Eiusmodi vero facta quod attinet, nonnulla eorum ita ſunt qualificata, vt ex legum ciuilium dispoſitione quaedam requiſita in iis perficiendis ſint obſervanda, quae ex iuris naturalis principiis nullo modo poſſunt deriuari. Omnia vero facta, quorum intuitu requiſita praeſcripta non ſunt obſeruata, quoniam ſunt contra legum prohibitionem ſuscepta prohibita & iniuſta vocantur. Sic v. g. nuptiae absque parentum conſenſu initiae ſunt iniuſtae, ſic teſtamenta privata ſolennia absque teſtium ſeptenario numero ſunt iniuſta &c. Quoties vero quaeritur, vtrum factum aliquod prohibitum ſeu iniuſtum etiam ſtatim inualidum ſeu nullum ſit dicendum, toties neglecta eorum ſententia, qui a prohibitione facti alicuius ad nullitatem eius indiſtincte concludendum eſſe putant, mea omnino opinione diſtinguendum eſt, vtrum factum aliquod prohibitum ſit ſub poena nullitatis nec ne. Priori caſu omne factum in-

iuſtum

iuſtum nullitate inſuper laborat & per conſequens non producit eam obligationem, cuius conſtituendae gratia fuit initum. Sic v. g. teſtamentum priuatum ſolenne propter defectum ſeptenarii teſtium numeri non tantum iniuſtum ſed & nullum eſt. Poſteriori vero caſu factum iniuſtum non ſtatim nullitate laborat ſed obligationem intentam producit, quamuis poenae vel determinatae vel arbitrariae locus eſſe poſſit. Sic v. g. nuptiae absque parentum conſenſu contractae ex principiis iuris communis non ſunt nullae, ſed contrahentes poena arbitraria puniri poſſunt.

§. VI.

NVLLITAS IN CONCRETO EST VEL ABSOLVTA VEL RESPECTIVA.

Dari ergo facta, quae ex legum diſpoſitione eam obligationem non producunt, cuius conſtituendae gratia ſunt ſuscepta, ex iis, quae §o antecedenti dicta ſunt, ſatis patet. Re vero penitius paulo conſiderata, eiusmodi facta duplicis eſſe generis affirmandum eſt. Quaedam enim eorum ita ſunt comparata, vt neque eorum, qui ſusceperunt, neque tertii cuiusdam, cui, exceptis illis, leges ius dederunt, vt ea facta in praeiudicium eorum ſuscepta nulla declarentur agendi, conſenſu vnquam valida

fieri possint. Haec facta vocantur *absolute nulla* & talis obligationis absentia intuitu facti alicuius existentis *nullitatis facti absolutae* nomine venit. Sic v. g. matrimonium inter fratrem & vxorem nec non in linea recta nullitate absoluta laborat. Alia vero facta eius sunt generis, vt consensu priuatorum, qui agere vel excipere propter nullitatem eorum possunt, valida fiant, & haec facta, quoniam tantum respectu modo dictarum personarum obligationem non producunt, *respectiue nulla* vocantur, & haec conditionata, vt ita dicam, absentia obligationis intuitu facti existentis *nullitas respectiua* appellanda est. Sic v. g. sponsalia absque parentum consensu inita sunt tantum respectiue nulla, sic deinde contractus vi, metu, dolo, errore initus nullitate respectiva tantum laborat. Nullitas absoluta & respectiva eo igitur potissimum inter se differunt, vt illa principis seu superioris haec vero priuatorum consensu conualescere possit.

§. VII.

NVLLITATIS EFFECTVS CVM ABSOLVTAE TVM RESPECTIVAE RECENSENTVR.

Quaecunque facta seu negotia semel seu ab initio siue respectiue siue absolute nulla sunt, ea,

ea, quatenus ſimpliciter & per ſe conſiderantur, id eſt, quatenus non aliud quid accedat, in perpetuum ita manere & nullo temporis tractu conualeſcere certum eſt legibusque ipſis probatum (*a*). Nullitatis vero effectus quod attinet, diſtinguendum eſt vtrum factum aliquod ſiue ab vno ſiue a pluribus ſusceptum abſolute an reſpectiue nullum ſit. Illo caſu, principis conſenſu non ſubſecuto, iudicis officium eſt eiusmodi factum annullandi & auctores eius aut determinatae aut arbitrariae poenae ſubiiciendi. Hoc caſu iterum diſtinguendum eſt, vtrum factum ab vno vel, quod idem eſt, a pluribus pro vna perſona ſumtis ſusceptum fuerit, an vero negotium a duobus vel pluribus initum fuerit, Priori caſu omnes ii, quorum intereſt, prout vel in poſſeſſione rei, quae tanquam obiectum facti poteſt conſiderari, ſunt vel non, aut exceptione in perpetuum durante, aut querela nullitatis intra triginta annos inſtituenda efficere poſſunt, vt eiusmodi factum annulletur. Sic v. g. omnes, qui teſtatori ab inteſtato ſuccedunt poſſunt propter teſtamentum nullitatis vitio laborans querelam nullitatis inſtituere & ſi in poſſeſſione hereditatis ſunt exceptione nullitatis vti. Poſteriori vero caſu cum contrahentes tum omnes ii, quorum intereſt, prout in poſſeſſione rei petitae ſint nec ne, excipiendo aut agendo perficere poſſunt, vt iuciali auctori-

tate

tate eiusmodi negotium pro nullo declaretur.

(a) L. 29. 182. 210. D. de regulis iuris.

§. VIII.

MAGNAM ESSE DIFFERENTIAM INTER NEGOTIA NVLLA ET EA, QVAE RESCINDI POSSVNT OSTENDITVR.

Facta, quae ipso iure nulla sunt, ab iis probe sunt distinguenda, quae quidem valida sunt, sed tamen ita comparata, vt ob specialem causam legibus approbatam interuenientem vel generali vel speciali, id est, negotio certo proprio remedio impugnari & Iudicis sententia rescindi possint. Illuc restitutio in integrum, huc vero v. g. querela inofficiosi testamenti & remedium L. 2. C. de rescind. emt. vend. pertinent. In Sententia, quae actionem nullitatis cum effectu institutam vel exceptionem oppositam sequitur, declaratur, factum, de cuius validitate quaestio est, ita ab initio non fuisse qualificatum, vt iura & obligationes ex eo oriri possint, id est, ab initio nullum fuisse. Haec Sententia igitur supponit factum, quod iudicando non fit nullum, sed quod iudicando semper nullitate laborasse certitudinis securitatisque iuridicae causa declaratur.

ratur. Eiusmodi vero ſententia, quae intuitu facti alicuius vel negotii reſcindendi cauſa cum optato effectu impugnati fertur ſupponit factum vel negotium ab initio validum, quod vero iudicando aut in toto aut pro parte, ob ſpeciales cauſas legibus praeſcriptas & legitime probatas, nullum fieri incipit ſeu reſcinditur. Factum vel negotium ab initio nullitatis vitio laborans ab eo, quod reſcindi poteſt deinde etiam in eo differt, quod illud intra 30 annorum ſpatium competenti remedio impugnari poſſit, intuitu huius vero *regulariter* breuius tempus praeſcriptum ſit intra quod legitimis remediis poteſt impugnari. Sic v. g. querelae inofficioſi teſtamenti quinquennio (*a*) & reſtitutioni in integrum *praetoriae* quadriennio continuo a tempore remoti impedimenti computando (*b*) praeſcribitur. Denique negotium vel factum nullum & in eo a reſciſſo eſt diſtinctum, quod ex illo nulla plane Iura & obligationes oriantur, hoc vero, non obſtante reſciſſione, pro parte validum manere nonnunquam poſſit v. g. ex teſtamento per querelam inofficioſi reſciſſo omnia legata & fideicommiſſa peti iure nouo poſſunt (*c*).

(*a*) L. 8. §. 17. D. de inoff. teſt. L. 34. in fin. C. eodem.
(*b*) L. vlt. C. de temp. in integ. reſtit.
(*c*) L. 8. §. 16. D. de inoff. teſt. Nov. 115. cap. 3. in fin.

§. IX.

§. IX.

DEFINITIO NVLLITATIS SENTENTIAE DEFINITIVAE ET FVNDAMENTA EIVS GENERALIA TRADVNTVR.

Traditis nunc de nullitate in genere eiusque effectu principiis in diiudicando, vtrum negotia iurium obligationumque conſtituendarum cauſa inita valida vocanda ſint nec ne probe obſeruandis, ad nullitatem Sententiarum cum iure romano & canonico tum legibus imperii nouiſſimis determinandam progredior. Sententia eſt totius cauſae litigioſae deciſio a iudice competente facta. Cauſa litigioſa, quae tanquam obiectum ſententiae conſideratur eſt vel *priuati arbitrii* vel non (*a*). Quaecunque ego de ſententiis earumque *Validitate* aut *Nullitate* proferam, ea omnia de ſententiis in cauſis *priuati arbitrii* latis intelligenda ſunt, cum caeterae nunquam rei iudicatae auctoritatem nanciscantur. Sententia igitur in cauſis priuati arbitrii lata vel ita eſt comparata, vt ſola per decem dierum ſpatium impugnationis eius omiſſione plenam inter partes obligandi vim ita obtineat, vt nullo poſtea remedio, excepta reſtitutione in integrum, impugnari poſſit, *valida* eſt vocanda ſiue iniuſta ſit ſiue non. Quando vero ſententia ita eſt qualificata, vt

ex

ex ſolo decendii lapſu vim iuris accipere non poſſit, *inualida* ſeu *nulla* nominanda eſt & haec ſententiae qualitas, vi cuius rei iudicatae auctoritatis particeps fieri non poſſit *Nullitatis Sententiae* nomine venit. Nullitatis fundamentum vel in obſcuritate ſententiae vel in defectu eorum, quae ex legum diſpoſitione ad validitatem eius requiruntur, poſitum eſt. Priori caſu ſententia vocatur *obſcura*, poſteriori vero *nulla in ſpecie ſic dicta* appellanda eſt. Quaecunque ego de nullitate ſententiae dicam, ea de Sententiis nullis in ſpecie ſic dictis intelligenda ſunt, cum facili omnino negotio perſpici poſſit, vtrum in dato caſu obſcuritas ſententiae adſit nec ne & ea deinde in meritis cauſae tantummodo poſſit cogitari.

(*a*) Quo pertinent 1) cauſae matrimoniales certo reſpectu ſcilicet ſi vel validum matrimonium ex falſa cauſa reſcinditur vel abſolute prohibitum ex errore iuris vel facti validum declaratur 2) cauſae criminales certo etiam reſpectu vid. I. H. Böhmeri Exercit. ad Digeſta tom. V pag. 558. 3) cauſa, cuius praeſtatio abſolute eſt impoſſibilis L. vlt. C. quae ſent. ſine appell. reſcind.

§. X.

§. X.

SENTENTIAE INTERLOCVTORIAE NEQVE IVRE ROMANO ET CANONICO NEQVE LEGIBVS IMPERII INVALIDAS ET NVLLAS DIVIDI POSSVNT.

Omnes determinationes, ante causae totius decisionem, siue per decisionem puncti incidentis, cognita causa & audita vtraque parte, siue alio modo factae generali nomine *interlocutiones* appellantur (*a*) & quando punctum incidens decidendum non concernit processum, sed potius tanquam causa praeiudicialis est consideranda, tunc eius decisio *sententiae* nomine in iure romano venit (*b*) & destinctionis gratia eiusmodi sententiae, quibus causae principalis deciditur *seutentiae definitiuae* nominantur (*c*). Iure canonico omnes in genere interlocutiones, nullo habito respectu, vtrum causa cognita fiant nec ne, *sententiae interlocutoriae* vocantur (*d*). Sic v. g. citationes mandata decreta, quibus v. g. probatio iniungitur vel aliud quid determinatur, sententiae interlocutoriae audiunt. Ius romanum ab interlocutoria vna tantummodo casu appellationem permittit, scilicet quando intuitu alterutrius partis damnum irreparabile ex ea oritur (*e*), Iure canonico ab omni interlocutoria licita est appel-

appellatio (*f*), ſed neceſſarium eſt, vt fiat in ſcriptis (*g*) & deinde, quia mutari poteſt interlocutoria ab ipſo iudice (*h*), cauſa grauaminis exprimatur (*i*) & denique in iudicio ſuperiori iuſtificetur ex actis prioris inſtantiae (*k*). Legibus denique imperii diſtinguitur, vtrum ſententia interlocutoria facta ſit praeuia cauſae cognitione nec ne. Priori caſu tunc appellari eodem modo, vt a ſententia definitiua poteſt, ſi vim habet definitiuae (*l*). Quando vero vim definitiuae non habet, vel absque cauſae cognitione lata eſt, in eo tantum caſu, ſi damnum irreparabile continet, permiſſa eſt appellatio, ſed in ſcriptis fieri & cauſa grauaminis exprimi debet (*m*). Quamuis vero a ſententia interlocutoria nonnunquam appellari poſſit; ex eo tamen eiusmodi ſententiam, intuitu cuius data eſt appellandi facultas, omiſſa appellatione rei iudicatae auctoritatem conſequi poſſe nullo modo poteſt concludi. Sententiis enim interlocutoriis legibus imperii rei iudicatae auctoritas non adſcribitur, ſed ea potius in iure canonico expreſſe ipſis denegatur (*n*). Sententiam igitur interlocutoriam, habito reſpectu ad rem iudicatam, in validam & nullam diuidi ex iuris communis principiis nullo modo poſſe tam certum eſt quam quod certiſſimum.

(*a*) L. 19. C. ex quibus cauſ. inf. irrog. L. 9. C. de Sent. & int.

(*b*) L. 39. D. de minoribus vbi „*dicta pro aetate sententia.*

(*c*) L. 3. & 16. C. de sent. & int.

(*d*) cap. 12. de appellationibus in 6.

(*e*) L. 2. D. de appell. recip. Notandum est iure digestorum praeterea datam fuisse appellandi facultatem ab eiusmodi interlocutoria in qua causa praeiudicialis citra processum decisa fuerat L. 39. D. de minor. Cum vero in iure codicis scilicet in L. 16. C. de Sent. & int. L. 36. C. de appell. omnis in genere appellatio ante sententiam definitiuam prohibita sit; sequitur L. 39. D. de minor. esse sublatam, semper vero Iura codicis cum limitatione in L. 2. D. de Appel. recip. esse intelligenda puto, alias enim Imperator iudicibus eo ipso facultatem dedisset partibus damna irreparabilia inferendi, quod vero non est praesumendum.

(*f*) cap. 12. X. de appellationibus.

(*g*) cap. 1. de appell. in 6.

(*h*) cap. 6. X. eod. & cap. 10. eod. in 6.

(*i*) cap. 59. X. eod.

(*k*) clem. 5. eod. Hic supponendum est, iudicem primae instantiae non mutasse interlocutoriam ad instantiam appellantis sed causam ad iudicem superiorem esse deuolutam.

(*l*) Conc. Ord. Cam. part. 2. tit. 32. §. 2. vbi Und so von Beyurteilen, die Kraft einer Endurteil hätten, appelliret würde, so soll der Appellant in Schriften ex interuallo oder mündlich in continenti, wie von andern Endurteilen zu appelliren Macht haben.

(*m*) C. O. C. l. c. §. 3. Wo aber von andern Interlocutorien und Beschwehrungen, die durch

durch Mittel der Appellation von der Endurteil nicht wiedergebracht werden mögen, appelliret würde; so soll solche Appellation in Schriften und mit Anzeigung der Ursach der Beschwerden geschehen, angesehen, daß dieselbe aus andern Ursachen nicht mag gerechtfertiget werden.

(*n*) cap. 12. de appell. in 6. In priori parte huius legis dicitur, omne grauamen sententia interlocutoria illatum in appellationis instantia a definitiua etiam post decendium a promulgatione interlocutoriae promulgata posse emendari consequenter sententiam interlocutoriam in rem iudicatam non abire. In posteriori vero legis parte a verbis: *vbi vero* indicatur, nonnunquam a sententia interlocutoria esse appellandum, non quia alias vim rei iudicatae acciperet, sed quia grauamen ea illatum in appellationis instantia a definitiua non possit reuocari, vel quia non parat praeiudicium negotio principali v. g. si terminus probatorius nimis brevis est praescriptus & is, cui probatio iniuncta est, intra terminum probatorium iudici significat quomodo probare velit, vel quia ita est comparatum, vt iudicium scilicet appellationis a definitiua nullum reddat, id est, vt grauamen iam antea illatum mediante appellatione a definitiua non possit reparari v. g. si probatio per testem in futuram rei memoriam paulo post mortuum denegata est a iudice.

§. XI.

QVAEDAM SENTENTIAE INTERLOCVTORIAE VSV FORI IN VALIDAS ET NVLLAS DIVIDVNTVR.

Quamuis vero ſecundum ea, quae §o antecedenti dicta ſunt, ſententias interlocutorias neque iure romano & canonico neque imperii legibus, ſiue damnum irreparabile contineant vel vim definitiuae habeant, ſiue non, nunquam in rem iudicatam abire poſſe certum ſit & euictum; haec tamen principia vſu fori per totam fere germaniam iamdudum obtinente valde eſſe mutata fateor. Quaeuis ſententia interlocutoria ſupponit punctum incidens intuitu cauſae principalis decidendae, ſiue concernat proceſſus directionem ſiue tanquam cauſa praeiudicialis citra proceſſum poſſit conſiderari. Puncta vero incidentia in *proceſſu ordinario* quod attinet, ea vel ita ſunt comparata, vt absque cognitione cauſae & vtraque parte non audita determinantur, vel eius ſunt generis, vt cognita cauſa & audita vtraque parte decidantur. Priori caſu & hodie adhuc intuitu eorum omnia principia cum intuitu appellationis tum rei iudicatae auctoritatis ſunt obſervanda, quae §o antecedenti tradita ſunt. Poſteriori vero vſu & obſeruantia fori ſenſim ſenſimque receptum eſt, vt in forma ſententiae deſi-

definitiuae concipiantur, publicentur eodem modo & denique, nisi impedimentum aliquod adsit, per lapsum decendii rei iudicatae auctoritatem, ita vt sententiae definitiuae, nanciscantur. Magna ex inde interlocutoriarum diversitas cum intuitu formae tum etiam effectus orta est. Diuersis igitur interlocutoriis diuersa nomina a doctoribus sunt attributa. Eiusmodi enim interlocutoriae, in quibus punctum incidens absque causae cognitione & vtraque parte non audita determinatur, *interlocutoriae sicae* vocantur, huc v. g. pertinent citationes, mandata & decreta &c. Quando vero in sententia interlocutoria punctum incidens praeuia causae cognitione & audita vtraque parte deciditur, tunc talis interlocutoria, quoniam in multis cum definitiua conuenit *mixta* appellatur. Quoniam vero sententias interlocutorias mixtas rei iudicatae auctoritatis, nisi vitio quodam nullitatem producente laborant, participes fieri posse ex antecedentibus satis patet; eas etiam in *validas* & *nullas* habito ad rem iudicatam respectu vsu & obseruantia fori dividendas esse necessaria est consequentia. Quotiescunque igitur de nullitate sententiarum sermo est, toties semper vel sententia definitiua vel interlocutoria mixta supponenda est, iis enim non existentibus ne quaestio quidem de nullitate sententiae oriri potest.

§. XII.

NVLLITAS SENTENTIAE VEL IN CONSTITVTIVIS IVDICII VEL IN IPSA SENTENTIA POSITA EST.

Dixi in antecedentibus nullitatem ſententiae in defectu eorum eſſe poſitam, quae ex legum diſpoſitione ad validitatem eius requiruntur. Multa vero ſententiae, ſiue ſit interlocutoria ſiue definitiua, dantur requiſita ſub poena nullitatis praeſcripta, conſequenter etiam habito reſpectu ad defectum eorum multa nullitatis ſententiae fundamenta, quae ſingula, vt deinde eo melius, quae ſit nullitas ſententiae ſanabilis & inſanabilis determinari poſſit, ſuo ordine perſtringendi animus eſt. Quaevis ſententia ſupponit iudicium, intuitu cuius tanquam conſectarium quoddam eſt conſideranda. Vbi igitur iudicium eſt nullum, ibi & ſententiam nullitate laborare certum eſt. Quemcunque igitur defectum eorum, quae ex praeſcriptis legum ſiue mixtae ſint ſiue merae ad validitatem iudicii requiruntur, etiam nullitatem ſententiae iudicium illud ſubſecutae producere extra omne dubium poſitum eſſe videtur. Quoniam vero omnia ea, quae iudicio ineſſe neceſſario, id eſt, ſub poena nullitatis debent, quia id conſtituunt, *conſtitutiua iudicii* vocantur, vt ex defectu conſtitutiuorum iudicii

dicii nullitas ſententiae oriatur quam maxime eſt neceſſarium. Nonnunquam praeterea fieri poteſt, vt valido iudicio exiſtente, nihilominus tamen ſententia nullitatis vitio laboret, quando ſcilicet in determinandis iuribus & obligationibus partium ita leges ſunt neglectae, vt eiusmodi ſententia rei iudicatae auctoritatem accipere non poſſit. Omnis ergo ſententiae nullitas vel in defectu conſtitutiuorum iudicii vel in contentis ſententiae ipſius poſita eſt, & cum in determinanda quaeſtione vtrum in dato caſu ſententia nulla dicenda ſit nec ne, prius ſemper ad conſtitutiua iudicii, quam ad contenta ſententiae ipſius ſit reſpiciendum, ego primo de illo & deinde de hoc caſu agere apud me conſtitutum habeo.

§. XIII.

DE NVLLITATE SENTENTIAE, QVAE EX DEFECTV CONSTITVTIVORVM IVDICII ORITVR.

Eorum igitur, quae conſtituunt iudicium, defectum, qui tanquam fundamentum nullitatis ſententiae poteſt conſiderari, quod attinet, is omnino vel intuitu *ſubiectorum iudicii* vel *formae*, quae & proceſſus in ſenſu ſtricto vocatur, exiſtit. Subiecta iudicii duplicis potiſſimum ſunt generis, alia enim ſunt principalia,

quo pertinent iudex & partes, quae generali nomine, ſiue tanquam agentes ſiue tanquam conuenti conſiderandi ſunt, *rei* vocantur, alia minus principalia ſeu acceſſoria, quo v. g. procuratores ſunt referendi. Omnes hae perſonae hactenus nominatae certis requiſitis ſeu qualitatibus gaudere debent, quorum defectus ex legum diſpoſitione nullitatem iudicii conſequenter etiam ſententiae producit. Sic intuitu iudicis competentia (*a*), deinde intuitu reorum ius legitime ſtandi in iudicio (*b*), denique inuitu perſonarum minus principalium ex parte reorum, legitimatio ad cauſam vel ad proceſſum, ſunt requiſita, ex quorum defectu nullitas iudicii oritur. Formam denique iudicii ſeu modum in pertractandis iudicis auctoritate cauſis litigioſis deciſionis obtinendae cauſa obſeruandum quod attinet; & eius intuitu certa requiſita ſub poena nullitatis ſunt praeſcripta, quae vel *ſubſtantialia* vel *accidentalia* ſeu *ſolennia* vocantur, prout vel iam ex iuris naturalis principiis deriuari poſſunt vel legibus mere ciuilibus ſunt definita, ſiue naturae rei conueniant ſiue non. Sic ad ſubſtantialia pertinet vt ante cauſae cognitionem non pronuncietur (*c*) & ad accidentalia vt die feriato ſententia non debeat publicari (*d*), vt publicatio a iudice ſedente fiat (*e*), vt denique ſententia ſcripta ab ipſo iudice partibus recitetur (*f*).

(*a*) L.

(*a*) L. 1. & 4. C. ſi a non comp. iud.

(*b*) vid. Bergeri Oecon. iuris lib. IV. tit. VII.

(*c*) L. 7. C. de ſent. & int. omnium iudicium.

(*d*) L. 2. C. de feriis L. 4. C. quom. & quando Iudex.

(*e*) Nov. 82. cap. 3. & cap. fin. de ſent. & re iud. in 6.

(*f*) Cap. vlt. Clem. de ſent. & re iud. L. 2. & 3. C. de ſent. ex peric. recit.

§. XIV.

DE NVLLITATE SENTENTIAE HABITO RESPECTV AD CONTENTA EIVS ET QVIDEM I) GENERATIM.

Secundum ea, quae §o antecedenti prolata ſunt, ſententiam toties nullitate laborare, quoties iudicium, intuitu cuius tanquam conſectarium eſt conſideranda, eſt nullum, id eſt, quoties ea deſunt, quae ex legum diſpoſitione ad validitatem iudicii requiruntur, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Poſito nunc valido iudicio & ſententiam, cuius obtinendae cauſa ſusceptum fuit illud, ita eſſe comparatam, vt vires rei iudicatae per lapſum decendii accipere poſſit nullo modo poteſt concludi. Fieri enim poteſt, vt in determinandis iuribus & obligationibus partium, quarum cauſa lis inter eos mota eſt, ita leges non ſunt obſeruatae,

vt nullitas inde intuitu ſententiae oriatur. Mota igitur quaeſtione, quando ſcilicet ſententia ita ſit qualificata, vt propter vitium in contentis eius commiſſum, rei iudicatae auctoritatem nancisci non poſſit, quinque potiſſimum nullitatis ſententiae fundamenta adeſſe videntur.

§. XV.

II) SPECIATIM A) QVOD CONTRA IVS IN THESI PRONVNCIATVM SIT.

Primo enim nullitatis vitio laborat ſententia, ſi fundamentum deciſionis, ſiue in ſententia fuerit expreſſum ſiue non, indubitatae legum diſpoſitioni repugnat, id eſt, ſi contra ius in theſi pronunciatum eſt (*n*). Si v. g. iudex ita pronunciauerit, Caiam ob interceſſionem absque renunciatione SCti Velleiani interueniente eſſe obligatam, quia mulier ex interceſſione ſimpliciter ſit obligata; Titium deinde per vnum teſtem plene probaſſe, quia &c. eiusmodi ſententia nullitatis vitio laborat. Multarum vero legum diuerſae & plane contrariae dantur interpretationes & conſequenter diſpoſitio earum non eſt vnica & indubitata, interpretatione igitur hac vel illa, caſu exiſtente, pro fundamento deciſionis electa ſententiam ideo nullam eſſe nullo modo dici poteſt. Valida ergo eſt ſententia, qua legitimatis per ſub-

ſequens

ſequens matrimonium denegata eſt ſucceſſio in feudo ob duplicem interpretationem textus feudalis 11 feud. 26. §. 11. Nonnunquam praeterea contingit, vt, quamuis fundamentum deciſionis indubitatis legum principiis non ſit contrarium, deciſio ipſa tamen legibns non conueniat, quia factum re vera non ita eſt comparatum, vt, applicatione legum ad hoc facta, eiusmodi deciſio poſſit oriri. Doctores illam ſententiam, quae deciſionem, ob vitium intuitu facti commiſſum, legibus non conuenientem continet contra *ius in Hypotheſi* latam eſſe dicunt. Talem igitur ſententiam, quamuis iniqua & iniuſta ſit, tamen nullitate non laborat ſed per lapſum decendii rei iudicatae auctoritatem nanciscitur (*b*). Valida igitur eſt ſententia, in qua iudex ita pronunciauit, Caium, cui probandi onus impoſitum, per Mevium & Titium plene probaſſe, adeoque &c. cum tamen certum ſit, hosce teſtes non eſſe omni exceptione maiores ideoque plene non probare.

(*a*) L. 19. D. de appell. & rel. L. 1. §. 2. D. quae ſent. ſine appel. L. 2. C. quand. prov. non eſt neceſſe.

(*b*) L. 2. C. in fin. eodem.

§. XVI.

§. XVI.

B. QVOD CONTRA ALIAM REM IVDICATAM LATA SIT SENTENTIA.

Omnibus iis, quae de primo nullitatis ſententiae fundamento tradita ſunt, accuratius paulo perpenſis, etiamſi ſpecialis legum diſpoſitio ceſſaret, facile tamen eſſet intellectu & illam deinde ſententiam, quae tenori ſententiae prioris validae inter eosdem litigantes in eadem cauſa latae reique iudicatae auctoritatem iam adeptae eſt contraria, iure meritoque nullam eſſe vocandam. Rei enim iudicatae auctoritas inter partes pro iure & lege eſt, conſequenter ſententia poſterior contraria continet fundamentum deciſionis indubitatae legum diſpoſitioni repugnans, eam ergo in rem iudicatam nunquam abire poſſe extra omne dubium poſitum eſt (*a*).

(*a*) L. I. C. quando prov. non eſt neceſſe.

§. XVII.

C. QVOD EX FALSIS INSTRVMENTIS IVDICATVM SIT.

Tertio & illam ſententiam, quae ex falſis inſtrumentis, quorum nomine & teſtes in legibus veniunt, lata eſt, rei iudicatae auctoritatem

tatem nunquam nanciscitur & per consequens nullitatis vitio laborat. Dicitur quidem in Digestis & quidem in l. 33. D. de re iudicata, omnia ea, quae a iudice testibus conspiratione aduersariorum pecunia corruptis circumscripto iudicata sunt, in integrum esse restituenda & ideo eiusmodi sententiam in rem iudicatam transire, salua tamen restitutione, videri posset. At vero probe notandum est, restitutionem in integrum in genere denotare reductionem rei alicuius vel causae in pristinum statum. Fieri potest illa reductio duplici modo, scilicet vel mediante rescissione negotii validi, intuitu cuius reductio ipsa tanquam consequens est consideranda, vel absque vlla negotii rescissione interueniente. Illo casu restitutio in integrum in sensu speciali adest. Hoc vero vt restitutio in integrum fieri possit, necessarium est, vt negotium, quod interuenit, pro nullo declaretur ideoque distinctionis causa restitutioni in integrum hoc casu annullationis nomen attribuitur. Hisce positis & in L. 33. all. hanc. R. in I. speciem, quae mediante negotii alicuius annullatione fit, esse intelligendam, ni fallor, optime ex L. 11. D. de exceptionibus probari potest. Dicitur enim in hac lege sententiam ex falsis instrumentis latam non producere rei iudicatae exceptionem & per consequens non transire in rem iudicatam. Quando vero leges Codicis & quidem totum

tit.

tit. si ex falsis Instrum. nec non iuris canonici sanctiones (*a*) in hac materia spectaueris, sententiam ex falsis instrumentis latam esse nullam facili omnino negotio inueneris. Multi doctores ex eo concludunt sententiam ex falsa causa latam nullam esse vocandam, alii distingunt inter causam principalem & secundariam & illam non vero hanc nullitatem sententiae producere aiunt (*b*). Hoc adnotasse sufficiat, nam an & quatenus eorum opinio ex legibus allegatis possit deriuari vel ideo non perstringam cum infra docebo, omnem sententiam, quae ex dispositione Iuris romani & canonici propter vitium in contentis eius commissum nulla est, secundum nouissimas imperii sanctiones, lapso decendii spatio, rei iudicatae auctoritatem *regulariter* accipere.

(*a*) cap. 22. X. de testibus.

(*b*) vid. I. H. Böhmeri Exercit. ad Dig. tom. V. Ex. 87. §. 34.

§. XVIII.

D. QVOD IVDEX CORRVPTVS FVIT.

E. QVOD SENTENTIAE INEST ERROR CALCVLI.

Denique & illa sententia nulla est, quae ideo a iudice contra Ius litigatoris lata est, quod hic

hic vel ab ipſo aduerſario vel a tertio eius nomine corruptus fuit (*a*). Hoc caſu vero ſupponendum ſemper eſt, quod laeſio & ſimul corruptio adſit. Nouiſſime & in eo caſu ſententiae nullitatem eſſe adſcribendam leges volunt (*b*), quando ſcilicet errorem calculi continet, id eſt, quando in ipſa ſententia eſt error in calculando commiſſus. Si v. g. iudex, vt ipſis legum verbis vtar, ita pronunciauerit. „*Cum conſtet Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta item ex illa viginti quinque debere, idcirco Lucium Titium Sejo centum condemno*" eiusmodi ſententia nullitate laborat & conſequenter poſt lapſum decendii poteſt impugnari.

(*a*) L. 7. C. Quando provoc. non eſt neceſſe.
(*b*) L. 1. §. 1. D. Quae ſent. ſine app. reſc.

§. XIX.

DVBIVM, QVOD INTVITV ERRORIS CALCVLI OBMOVERI POTEST, REFVTATVR.

Quaecunque in fine §i antecedentis de errore calculi intuitu ſententiae ſecundum ius digeſtorum dixi, ea omnia re obiter tantummodo conſiderata Iure codicis & quidem L. nn C. de errore calculi valde eſſe mutata vide-

ri

ri quidem poteſt. Quodſi vero L. un. C. all. accuratius paulo conſideraueris, tunc profecto, ius digeſtorum in hoc caſu iure codicis non eſſe ſublatum, facili omnino negotio inueneris. Iſtam vero legem quod attinet, ſenſus eius, ni fallor, ſequens eſt. Omnis contractus ob errorem calculi impugnari poteſt ſiue agendo ſiue excipiendo fiat. Mota vero ſuper ipſo errore calculi lite, rationes ſemper iterum tractari, id eſt, computari poſſunt, vsque dum haec lis ſuper errore calculi orta vel per ſententiam, quae iam in rem iudicatam abiit vel per transactionem ſopita fuerit. Sermo igitur in L. un. C. all. eſt de ſententia, quae illam quaeſtionem, vtrum in dato caſu error calculi adſit, decidit & ſecundum hanc legem, quin in rem iudicatam abire poſſit, nullo modo poteſt dubitari. Quotiescunque igitur oritur quaeſtio, vtrum ſententia, intuitu cuius error calculi exiſtit, nullitate laborat nec ne; toties probe diſtinguendum eſſe puto, vtrum ſententia ſuper errore calculi lata fuerit, an ipſi inſit error calculi. Priori caſu valida eſt & de hoc caſu agit lex un. C. de errore calculi. Poſteriori vero rei iudicatae auctoritatem nullo temporis tractu nanciscitur ob L. 1. §. 1. D. Quae Sent. ſine app. rescinduntur. Hisce poſitis iura digeſtorum in hac materia iure codicis non eſſe ſublata, cum ſingula haec iura diuerſos plane caſus ſupponunt, neminem negaturum fore puto.

§. XX.

§. XX.

SENTENTIA NVLLA INTRA TRIGINTA ANNOS IMPVGNARI POSSE OSTENDITVR.

Perſtrictis nunc omnibus nullitatis ſententiae fundamentis ſecundum principia iuris civilis romani & canonici, quam maxime neceſſarium eſſe arbitror, vt de effectu nullitatis ſententiae ſecundum ius romanum & canonicum agam, partim quia Diuiſioni nullitatis ſententiae in *Sanabilem* & *Inſanabilem* in receſſu imperii nouiſſimo factae occaſionem dedit, partim quia in modo dicto R. I. N. iſti nullitati ſententiae, quae *Inſanabilis* vocatur, omnes effectus iure romano cuiuis ſententiae nulli attributi, adſcribuntur. Quaecunque in §o 7. de effectu nullitatis reſpectiuae in genere prolata ſunt, ea omnia in determinando nullitatis ſententiae effectu, ceſſante ſpeciali legum diſpoſitione, ſunt applicanda. Sententia igitur nullitate laborans, quatenus per ſe conſideratur, nunquam effectus validae ſententiae nanciſcitur, conſequenter in rem iudicatam non tranſit, quamuis, omiſſa omni ex capite nullitatis impugnatione, ſemper, ea vero interueniente, exceptis quibusdam caſibus (*a*), ob praeſumtionem pro iudice, quod ſcilicet recte iudicauerit, militantem executio fiat (*b*).

Quamquam vero ſententia, quae ſemel nulla eſt in perpetuum cum omnibus conſectariis nulla manet; ne tamen iura & dominia priuatorum incerta ſint & litigia immortalia, publicae vtilitatis ratio ſuadet, vt ſententiae ob vitium nullitatis intra certum temporis ſpatium tantummodo poſſint impugnari. Specialis vero legum diſpoſitio eiusmodi tempus definiens neque in iure ciuili neque in iure canonico adeſt, conſequenter recurrendum eſt ad generalia praeſcriptionis principia. His prolatis nullo caret dubio ſententiam ex capite nullitatis intra triginta tantummodo annos impugnari poſſe, cum, illo temporis ſpatio praeterlapſo, omnium rerum omniumque iurium praeſcriptio locum habeat (*c*).

(*a*) Quo pertinet ſi executio damnum irreparabile continet v. g. ſi cautio de reſtituendo non poteſt praeſtari, vid. Ludovici Einleitung zum civil Proceß Cap. 22 §. 4. Strykii Introd. in praxin. cap. 23. §. 27. ibique all. Brunnemann.

(*b*) vid. Gaillii Obſerv. pract. Lib. 1. Obſ. 127. Nro. 10. Brunnemann ad Cod. & quidem ad L. vlt. C. ſi ex falſis inſtrum., Ill. Pütteri opuscula pag. 323.

(*c*) L. 3. C. de praeſcript. 30 vel 40 annorum.

§. XXI.

§. XXI.

QVO MODO FIERI POSSIT ILLA IMPVGNATIO?

Determinato nunc tempore, intra quod ſententia ex capite nullitatis impugnari poteſt, ardua omnino oritur quaeſtio, quo modo illa nullitas vrgeri debeat. In decidenda hac quaeſtione probe diſtinguendum eſt, vtrum ſententia, quae nullitatis vitio laborat, ſit abſolutoria an condemnatoria. Priori caſu nullitas per modum actionis, quae *nullitatis querelae* nomine venit, intra tempus determinatum vrgeri debet. Poſteriori vero caſu iterum diſtinguendum eſſe arbitror, vtrum executio iam facta fuerit nec ne. Illo caſu iterum querela nullitatis inſtituenda eſt. Hoc vero in libera condemnati voluntate poſitum eſt, vtrum ſententiam per modum actionis an exceptionis ex capite nullitatis impugnare velit.

§. XXII.

CORAM QVO IVDICE SENTENTIA EX CAPITE NVLLITATIS IMPVGNARI POSSIT.

Quando igitur partium aliquis per ſententiam ita ſe grauatum eſſe putat, vt illa nulli-

tatis vitio laboret, & fatale remedii ordinarii praeterlapso querela nullitatis aduersus eiusmodi sententiam vti velit, siue executio iam facta fuerit siue non; quaeritur vtrum coram iudice inferiori a quo illa sententia lata est, an proxime superiori querela nullitatis sit proferenda. Quodsi haec quaestio, abstrahendo ab omnibus legibus positiuis, secundum principia iuris naturalis & naturam rei decidenda esset; quin semper fere illud nullitatis remedium in iudicio proxime superiori sit instituendum neminem dubitaturum fore puto. Primo enim iuri naturae non respondet iudicem esse in propria causa & deinde etiam semper, exceptis quibusdam casibus, praesumendum est iudicem sententiam a se latam non annullaturum fore. Leges vero positiuas in definienda hac quaestione quod attinet; distinguendum est inter iudicem delegatum & ordinarium. Illi in legibus denegata est facultas sententiam a se latam ipse mutandi, nullo habito respectu, an sententia illa vitio nullitatis laborat an tantum iniusta seu iniqua sit (*a*). Quotiescunque ergo aliquis putat, sententiam iudicis delegati esse nullam, toties semper querela nullitatis coram iudice superiori, id est, coram delegante est proponenda. Ordinarium e contrario iudicem quod attinet, in arbitrio eius, qui de nullitate sententiae quaeritur, positum est vtrum eum (*b*), an vero iudicem proxime superiorem

rem (*c*), querela illa adire velit. Si vero mota vel in eodem vel in iudicio proxime superiori nullitatis querela & cognitione intuitu nullitatis sententiae facta, iudici sententiam priorem, siue ab ipso siue ab inferiori latam, nullitatis vitio laborare ideoque annullandam esse constabit, eum iudicem, qui de nullitate prioris sententiae cognouit (*d*), cum sententia nulla nunquam vires rei iudicatae accipere possit consequenter & post lapsum decendii mutari, omnia grauamina praeter nullitatem sententiae priori illata, quorumque remouendorum causa querela nullitatis instituta est, statim, facta prioris sententiae annullatione, reparari posse tam certum est, quam quod certissimum (*e*).

(*a*) L. 4. C. quom. & quand. iud., L. 3. C. si a non comp. iud. L. 6. C. quand. prov. non est necesse. Gaillii Observ. pract. Lib. 1. Obs. 127. Nro. 5. & 6.

(*b*) L. 6. C. quom. & quand. iud. L. 4. C. de accus. Gaillius l. c.

(*c*) L. 6. C. de accus. L. 4. C. de sent. quae sine certa quant.

(*d*) Modo, si sit superior, appellatio sit permissa in dato casu quia neque lex neque priuilegium eam impedit. Nam si appellatio in dato casu licita non est, facta annullatione sententiae causa ad iudicem inferiorem est remittenda, a quo deinde, cognita de nouo causa, ferenda est sententia.

(*e*) L. 1. §. 1. in fin. D. quae sent. sine app. L. 6. C. de accusat. & inscript. Gaillius l. c. Nro. 1.

§. XXIII.

DIFFICILE NONNVNQAM EST IVDICATV VTRVM SENTENTIA NVLLA AN TANTVM INIQVA SIT.

Omnia nullitatis ſententiae fundamenta partim ex iure romano partim ex iure canonico prolata, quoties mecum reputo, toties profecto quemuis artis peritum mecum profeſſurum eſſe certus ſum atque perſuaſus, nonnunquam quidem facili omnino negotio perſpici poſſe vtrum ſententia nulla ſit an tantum iniuſta, nonnunquam vero huius quaeſtionis deciſionem magna omnino difficultate eſſe coniunctam. Sic v. g. iſtae nullitates ſententiae, quae ex defectu conſtitutiuorum iudicii oriuntur vnumquemque primo intuitu in oculos incurrunt. Quisquis enim ſtatim videre & diiudicare poteſt vtrum iudex competens ſit, vtrum partes iure legitime ſtandi in iudicio gaudeant, vtrum procuratores ſe ad cauſam legitimauerint, an ea omnia vel in toto vel pro parte aliter ſe habeant, deinde vtrum ſubſtantialia proceſſus vt & eius accidentalia ſub poena nullitatis praeſcripta obſeruata ſint nec ne. At vero in eo caſu diiudicatu difficile eſt, vtrum ſententia nullitate laborat an tantum iniuſta ſit, quando ſcilicet alter litigantium nullitatem ſententiae ex contentis eius deducere ſtudet, altero

tero e contrario eiusmodi ſententiam tantum eſſe iniquam, ideoque ob rei iudicatae auctoritatem ſub praetextu nullitatis non eſſe reformandam contendente. Sic v. g. ſubtilis valde eſt quaeſtio multumque pro & contra poteſt disputari, vtrum contra ius in theſi an tantum contra ius litigatoris in dato caſu pronunciatum fuerit, praecipue ſi is, qui ſententiam ex capite nullitatis ſiue agendo ſiue excipiendo, impugnat, theſin iuris, contra quam pronunciatum eſt, certam & indubitatam eſſe contendit, altero e contrario dubiam eam & controuerſam eſſe aſſerente. In hoc caſu neceſſario decidendum eſt primo, vtrum illa theſis iuris ſit dubia nec ne & deinde, vtrum reuera contra eam pronuntiatum ſit an tantummodo in applicatione vitium ſit commiſſum. Sic deinde, quando aliquis ſententiam contra ſe latam ideo nullam dicit, quia contra rem iudicatam lata eſt, iterum inter partes de validitate prioris ſententiae in eadem cauſa inter ipſas vel eas, quarum facta ex legum diſpoſitione illae praeſtare tenentur, latae disputari poteſt, nam ab huius quaeſtionis deciſione dependet illa quaeſtio, vtrum ſcilicet poſterior ſententia valida vocanda ſit nec ne. Denique de caeteris nullitatis ſententiae fundamentis, quae ſcilicet ex contentis ſententiae ipſius deſumuntur, excepto errore calculi, idem valere certum eſt.

§. XXIV.

DIFFICVLTAS DETERMINATIONIS NVLLITATIS SENTENTIAE CAVSA IMMORTALIVM LITIGIORVM FVIT.

Quae cum ita ſint, vt ſaeculo decimo ſexto & ſeptimo, non obſtante rei iudicatae auctoritate, lites ex lite orierentur & per conſequens dominia priuatorum poſſeſſionesque incerta eſſent, idque in tota germania malos omnino effectus produceret non poterat non fieri. Cauſarum enim patroni, teſtante receſſu imperii nouiſſimo (*a*), nullitatem & iniquitatem ſententiae confundentes omnes fere ſententias fatali decendii praeterlapſo intra triginta annos ſiue executio iam facta fuerat ſiue non ex capite nullitatis impugnabant. Praeſumendum etiam eſt aduocatos in fraudem priuilegii de non appellando vel legis appellationem in certo cauſarum genere prohibentis aut ſumman appellabilem determinantis, querelam nullitatis cum appellationis remedio coniunxiſſe vt vel effectum, quem appellatio non vero nullitatis querela producit, ſuſpenſiuum, vel cauſae deuolutionem obtinerent.

(*a*) vid. pag. 43. ibique lit. a.

§. XXV.

§. XXV.

NECESSARIVM ERGO ERAT VT NOVA LEGISLATIONE INIQVITAS ET NVLLITAS SENTENTIAE ACCVRATIVS DETERMINARETVR.

His praemiſſis vt rei iudicatae auctoritati noua & per totam germaniam valente, id eſt, imperiali ſanctione ſubuenieretur quam maxime erat neceſſarium. Quod vero vt fieri poſſet opus erat, vt vel accuratius, quam in iure romano & canonico definieretur, quando ſententia nulla an tantum iniqua eſſet vocanda, & cum ſecundum iuris romani & canonici principia, vt in §o 23. dixi, praecipue in eo caſu, ſi nullitas ſententiae ex vitio in contentis eius commiſſo deducitur, diiudicatu difficile ſit vtrum reuera ſit nulla an tantum iniqua, melius vt ante factum determinandum erat, quando vitium in determinandis iuribus & obligationibus partium ita eſſet qualificatum vt nullitatem ſententiae produceret vel alio modo iniuſtitia & nullitas ſententiae erat ſeparanda. Illud erat opus quod vires eorum, quibus tunc temporis totius imperii romano germanici gubernacula erant commiſſa, longe ſuperabat ideoque alteram viam vt ingredierentur vnius eiusdemque finis obtinendi cauſa op-

portebat & hoc etiam re vera factum fuisse ex legibus imperii ipsis probabo.

§. XXVI.

QVAM INIVSTITIAE ET NVLLITATIS DETERMINATIONEM IN R. I. N. FACTAM FVISSE OSTENDITVR.

In recessu scilicet imperii nouissimo §. 121. generaliter sancitum fuit, intuitu omnis sententiae, siue de iure romano & canonico sit iniustae tantum siue nullitate laborat, fatale interponendi remedii ordinarii suspensiui esse obseruandum, consequenter certum est secundum hanc legem, quamuis sententiam, lapso Decendio, rei iudicatae auctoritatem consequi (*a*). Hunc §um quod attinet iam ex ratione huius legis generalem dispositionem continentis in ipsa lege occurrente statuendum esset, toties hanc regulam esse limitandam, quoties in dato casu facili omnino negotio potest perspici, vtrum sententia sit nulla, an tantum iniusta. At quis ignorat legem non ex ratione sed ex dispositione obligationem accipere, ideoque ex eo, quod ratio legis cessat, non posse concludi etiam dispositionem eius cessare. Quodsi vero §um proxime sequentem scilicet §. 122. perspexeris, tunc profecto inueneris,

neris, non opus esse, vt generalis dispositio §i antecedentis ex ratione legis limitetur (*b*). Expressis enim verbis in eo dicitur, iuris communis principia intuitu eiusmodi nullitatis sententiae, quae ex defectu eorum, quae constituunt iudicium, oritur esse obseruanda. Quicunque igitur nullitatem sententiae ex defectu competentiae seu habilitatis iudicis, iuris legitime standi in iudicio, legitimationis ad causam, substantialium processus & denique eius accidentalium sub poena nullitatis praescriptorum deducere velit, ipsi, non obstante rei iudicatae exceptione, data est facultas talem sententiam ex capite nullitatis siue agendo siue excipiendo impugnandi.

(*a*) R. I. N. §. 121. Vbi "Indem auch nunmehr von vielen Jahren her mit vieler Zeitverliehrung unnöthiger Dinge vielfältig disputiret worden, ob Sententia nulla oder iniusta sich erhalte, und zwar darum allein, daß a Sententia nulla die Klage in 30 Jahren prosequiret, a Sententia iniqua aber intra decendium appelliret werden kann und soll; so soll zur Verhütung dergleichen unnöthigen Gezänks in allen beyden Fällen, das ist, a Sententia tam nulla quam iniqua das fatale interponendae observiret, darüber auch bey unsern Cammergericht stet und festiglich gehalten werden.

(*b*) §. 122. Vbi "Bey denenjenigen Nullitäten aber, welche insanabilem defectum aus der Person des Richters oder der Parthey oder aus

aus den Substantialibus des Processes nach sich führen, verbleibet es bey der Disposition der gemeinen Rechte.

§. XXVII.

DEFINITIO NVLLITATIS SANABILIS ET INSANABILIS SENTENTIAE TRADITVR.

Ex iis, quae §o antecedenti ex legibus imperii nouissimis prolata sunt, satis patet, illam sententiam, quae ex iuris romani & canonici principiis, ob vitium in determinandis iuribus & obligationibus litigantium commissum, nullitate laborat, illis sententiis, quae tantummodo contra ius litigatoris latae ideoque iniquae tantum sunt, intuitu fatalis decendii obseruandi esse aequiparatam, consequenter ob omissam per decem dierum spatium remedii suspensiui interpositionem rei iudicatae auctoritatem, ac si tantum iniquae essent, accipere & per lapsum decendii nullitatis vitium purgari seu sanari. Deinde eam e contrario sententiam, quae ob defectum intuitu eorum, quae constituunt iudicium, nulla est adhuc ex capite nullitatis intra triginta annos posse impugnari & per consequens nullitatem eius per lapsum decendii non posse sanari. His suppositis non difficile erit, vt tamen multis doctoribus, quos breui-

breuitatis ergo allegare non volo, videtur, accuratam mentique R. I. N. respondentem definitionem nullitatis sanabilis & insanabilis sententiae tradere. Nullitas enim sanabilis sic optime potest definiri, *quod sit illa nullitas, quae ex sententiae contentis secundum ius romanum & canonicum oritur* seu clarius ex vitio in determinandis iuribus & obligationibus partium commisso. Nullitas e contrario insanabilis illa vocatur, *quae ex eorundem iurium principiis ex defectu constitutiuorum iudicii deriuatur.*

§. XXVIII.

ERROR CALCVLI AN PRODVCAT NVLLITATEM INSANABILEM?

Vera & in legibus fundata est regula, legem non ex ratione sed ex dispositione obligationem accipere & consequenter, cessante ratione, eam obligandi vim non omittere. At vero certissimum etiam est illud iuris principium, legem, cuius ratio dispositione eius maior est & ad alios casus in ipsa lege non expressos ob identitatem rationis secundum vulgatum illud, *vbi eadem ratio ibi eadem legis dispositio*, posse applicari. His praemissis contendo §um 122. R. I. N. & ad illum casum, quando scilicet sententiae inest calculi error esse extendendam, consequenter eiusmodi sententiam

tentiam posse intra 30 annos ex capite nullitatis impugnari, ideoque ex errore calculi nullitatem sententiae insanabilem oriri. Ratio enim exceptionis a regula in all. §o occurrentis in eo potissimum posita est, vt in iis casibus ibi allegatis nullitas sententiae, quamprimum adest, in oculos quasi incurrit, & cum hoc etiam de illa nullitate, quae ex errore calculi oritur, dici possit mea omnino opinione §. 122. R. I. N. ad hunc vnicum casum potest extendi.

§. XXIX.

EXCEPTIO NVLLITATIS SANABILIS, NEGLECTO DECENDII FATALE, PETITIONI EXECVTIONIS SENTENTIAE NON POTEST AMPLIVS OPPONI.

Quando ex negotio aliquo actio & exceptio oritur & illi instituendae in legibus certum temporis spatium est praefixum, nihilominus secundum regulam illam "*Quae ad agendum sunt temporalia ea ad excipiendum sunt perpetua*" agendi tempore praeterlapso exceptionis proferendae facultas salua manet. Sic v. g. qui ex possessione sua vi deiectus est, ille intra annum interdictum vnde vi recuperandae

dae eius causa potest instituere. Si vero post hoc tempus possessionem vi amissam absente aduersario recuperauerit, huic agenti exceptio interdicti vnde vi perpetuo potest opponi (*a*). Sic deinde in negotio aliquo dolo alterius deceptus restitutionem in integrum petere intra biennium potest, si vero negotium illud nondum est consummatum, id est, si praestatio nondum facta est, tunc agenti in perpetuum exceptio doli obstat (*b*). Regulam illam quod attinet, probe notandum est, semper eam eiusmodi negotia sepponere ex quibus quidem actio & exceptio oritur, sed exceptio orta non per modum actionis proferri potest. Sic in casu priori deiectus ex possessione tunc demum exceptionem interdicti vnde vi potest proferre si possionem recuperauerit & cum tutus in possessione sua sit, expectare debet vsque dum alter agat & consequenter exceptionem per modum actionis proferre non potest. Deinde in posteriori casu decepto ante praestationem ab ipso factam tantum exceptio doli competit, quae, cum res nondum sit praestita, per modum actionis proferri non potest. Et in eo potissimum ratio consistit, quod regula illa in omnibus illis casibus limitetur in legibus, vbi exceptio per modum actionis proponi potest (*c*). Primo enim laeso ob minorennem aetatem, lapso a tempore maiorennitatis adeptae quadriennio, exceptio R. in I. ex capite

mino-

minorennitatis non amplius competit (*d*). Deinde excluſus ab hereditate, heredi inſtituto poſt lapſum quinquennii hereditatem petenti non poteſt opponere inofficioſi teſtamenti exceptionem, cum hanc intra Quinquennium per modum actionis potuiſſet proponere (*e*). Ex his facili omnino negotio poteſt concludi ſententiam, quae nullitate ſanabili tantum laborat poſt lapſum fatale decendii non poſſe amplius exceptione nullitatis ſanabilis impugnari, neminem enim hanc exceptionem intra decem dies per modum actionis tanquam remedium ſuspenſiuum poſſe proponi dubitaturum fore puto & ſi contrarium contendere velles, concedere debes, vt §. 121. & 122. R. I. N. intentatum effectum producat fieri plane non poſſe, quin quod idem eſſet, ac ſi affirmare velles, cum per R. I. N. ſententia nullitate ſanabili laborans aequiparata ſit ſententiae de iure romano & canonico tantum iniquae, petitioni executionis ſententiae validae rei iudicatae auctoritatem iam adeptae exceptionem iniquitatis adhuc poſſe opponi (*f*).

(*a*) L. 5. C. de exceptionibus & praeſumtionibus.

(*b*) L. 5. §. fin. de doli mali & met. except.

(*c*) Wernheri Obſerv. for. Vol. 1. part. 1. Obſ. VI. Nro. 4., Zangeri tr. de except. Cap. 14. P. 3. num. 66.

(*d*) L.

(*d*) L. 9. §. 4. D. de Iureiurando. Brunnemann in L. fin. C. de temp. in int. rest.
(*e*) L. 8. §. 13. D. de inoff. test.
(*f*) Puffendorffii introd. in proc. civ. part. IV. cap. V. §. III.

§. XXX.

PROHIBITA VEL RESTRICTA APPELLATIONE, QVID INTVITV NVLLITATIS SENTENTIAE SANABILIS ET INSANABILIS STATVENDVM SIT OSTENDITVR.

Nonnunquam appellatio ad iudicium proxime superius siue in vno eodemque territorio siue sit summum imperii tribunal non est permissa. Ratio deficientis in dato casu prouocandi iuris vel in prohibitione vel in restrictione posita est. Illuc pertinet si appellatio aut lege aut priuilegio interdicta est. Huc vero referendum est quando summa appellabilis determinata est. Quoties nunc quaeritur, vtrum restricta aut prohibita appellatione, siue in omnibus siue in vno causarum genere etiam eo ipso denegata sit nullitatis querela; toties mea opinione distingendum est vtrum prohibita sit appellatio an vero determinatione summae appellabilis *per legem* facta restricta tantum. Priori casu a prohibitione appellationis ad nullitatis querelam, cum sint diuersa plane remedia diuersisque fundamentis nitantur, cumque leges prohibitiuae sint strictae interpretationis

concludi non poteſt, & conſequenter facultas querelam nullitatis in iudicio proxime ſuperiori in eo caſu, vbi prohibita eſt appellatio, inſtituendi ſalua manet (*a*). Poſteriori vero caſu, ne minutiae ad iudicia ſuperiora trahantur querela nullitatis ob defectum ſummae appellabilis eſt deneganda. Quaecunque hic de prohibitione & reſtrictione querelae nullitatis dixi ea omnia ad nullitatem inſanabilem ſunt referenda. Nullitas enim ſanabilis in R. I. N. aequiparata eſt iniquitati ſententiae, quidquid ergo de appellatione valet illud etiam obſeruandum eſt ſi quis queri ſuper ſanabili nullitate coram iudice ſuperiori velit conſequenter, quatenus appellatio prohibita aut reſtricta eſt eatenus & querela nullitatis ſanabilis prohibita & reſtricta eſſe cenſetur.

(*a*) vid. Ill. Pütteri epitome proc. imp. §. 365. & ea quae ibi ſunt allegata, nec non L. B. de Cramer Syſtema praec. imp. §. 1353. eiusque Obſerv. part. 1. Obſ. CLXII.

§. XXXI.

OPTATVM EFFECTVM §. 121. ET 122. R. I. N. NON PRODVXISSE ET EX QVA CAVSA TRADITVR.

Abſoluta nunc cum ex principiis iuris romani & canonici tum ſecundum nouiſſimas imperii leges tota de nullitate ſententiarum materia, an etiam ſecundum haec principia intui-

intuitu huius doctrinae hucusque tradita in foro diiudicatur coronidis loco perstringendi animus est. Quaestionem hanc quod attinet monendum est, determinationem nullitatis sententiae in R. I. N. factam doctoribus rationem huius sanctionis non satis perpendentibus admodum duram videri. Sententiam enim ob defectum eorum, quae constituunt iudicium esse nullam non vero si contra ius in thesi, contra rem iudicatam & ex falsis instrumentis lata fuerit, de lege & non secundum legem iudicantes iniustum valde esse statuunt. Ideoque quidam doctores distingunt inter nullitatem sententiae absolutam & respectiuam, illam insanabilem hanc vero sanabilem vocantes. Sed probe notandum est totam illam nullitatis distinctionem semper supponere sententiam in causis priuati arbitrii latam, vt iam in §o IX. monitum fuit. Quis enim quaeso contendat sententiam ideo absolute esse nullam quia partes se non legitimarunt? Cum tamen de eiusmodi sententia in R. I. N. dicatur, quod nullitate insanabili laboret. Alii e contrario doctores putant auctores R. I. N. plures nullitates insanabiles admittere voluisse, & istas nullitates §. 122. nominatas exempli tantummodo gratia esse prolatas & hoc supposito contendunt in iis casibus, quando contra ius in thesi, contra rem iudicatam &c. pronunciatum fuerit, nullitatem insanabilem adesse ideo-

que & ſecundum mentem R. I. N. poſſe intra 30 annos ex capite nullitatis impugnari (*a*). At vero eorum ſententiam ego ſubſcribere non poſſum, primo enim veriſſima eſt illa regula exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis & deinde ſi aduerſariorum opinio menti illius legis reſponderet, tunc ſane impoſſibile eſſet, vt effectum illum, cuius cauſa lata fuit produceret. Quamuis vero hoc certum ſit, ingenue tamen fateor aduerſariorum opinionem in foro eſſe receptam ideoque ſententiam propter vitia in contentis eius commiſſa contra clara R. I. N. verba ex capite nullitatis intra triginta annos poſſe impugnari.

(*a*) vid. Bergeri Oecon. iur. Lib. IV. Tit. 28. T. 10. Nro. 1. nec non eius Electa discept. for. pag. 1026.

§. XXXII.

IDEO IN MVLTIS TERRITORIIS, QVERELAE NVLLITATIS PARTIM DETERMINANDO SPECIALES NVLLITATIS CAVSAS PARTIM BREVIORI IMPVGNATIONIS TERMINO PRAEFIGENDO SVNT RESTRICTAE.

Secundum ea, quae §o antecedenti dicta ſunt, vt poſt R. I. N. ita vt ante, quando adſit nullitas ſanabilis & inſanabilis disputaretur, reique iudicatae auctoritas ſub praetextu nullitatis impugnaretur, ideoque dominia incerta litigiaque immortalia fierent non poterat non fieri.

fieri. Et hoc etiam causa fuit, quod in multis territoriis, non solum determinatum de novo fuit, in quo consistat nullitas sanabilis & insanabilis sed etiam tempus definitum fuit, intra quod sententiae ex hoc vel illo capite sub poena amittendi cum agendi tum excipiendi iuris sint impugnandae. Sic v. g. in hoc Electoratu distingendum est vtrum aliquis in Summo Cellensi Tribunali aduersus sententias a Cancellariis Curiisque prouincialibus latas aut aduersus sententias ab ipso Tribunali latas coram eodem querelam nullitatis proponere, an vero in Cancellariis Curiisque prouincialibus aduersus sententias ab iudicibus inferioribus latas de nullitate queri velit. Priori casu nullo habito respectu, vtrum nullitas sit sanabilis an insanabilis, modo summa appellabilis adsit, in iuridica publicationem sententiae proxime insequenti, siue ordinaria siue extraordinaria, in eo vero casu, si hoc tempus non fuerit quatuor hebdomadum, in altera iuridica proxime sequenti, querela nullitatis est instituenda (*a*). Deficiente vero summa appellabili permissa tantum est querela nullitatis in eo casu si haec est insanabilis (*b*). Posteriori vero casu non vbique vna eademque obtinere iura notandum est. Sic v. g. in Cancellaria Calenbergica ad nullitatem insanabilem refertur illa nullitas, quae ex falso testimonio & ex falsis instrumentis oritur & hoc casu secundum ius commune potest

querela nullitatis intra XXX annos institui. Caeterae vero nullitates dicuntur sanabiles & hae intra sex hebdomades a sententiae publicatione computandas sunt deducendae (*c*). Deinde in Curia Cellensi prouinciali duplici casu nullitas sententiae insanabilis adest scilicet primo si contra manifestissima iura & deinde si ante legitimam causae cognitionem lata fuerit sententia. Caeterae nullitates sunt sanabiles. Illo casu intra triginta annos, hoc vero in diaeta sententiae publicationem insequenti proxima querela nullitatis est proponenda (*d*) &c. In plurimis vero territoriis leges speciales nullitatem sententiae sanabilem & insanabilem vt & tempus, intra quod haec vel illa nullitatis species impugnanda sit, determinantes deficiunt.

(*a*) vid. Ord. Trib. Cellens. Part. II. tit. I. §. II.
(*b*) Ord. Trib. Cellens. l. c. verba Wäre auch.
(*c*) Ord. Canc. Cal. tit. 32. §. I.
(*d*) Ord. Cur. Prov. Cellens. Part. II. tit. 34. §. I.

§. XXXIII.

GENERALIA PRINCIPIA IN DECIDENDA QVAESTIONE AN ET QVANDO QVERELA NVLLITATIS INSTITVI POSSIT OBSERVANDA PROFERVNTVR.

Magnam igitur intuitu nullitatis querelae an scilicet & intra quaenam tempora sit proferenda iurium esse diuersitatem certum est, ideoque vt generalia quaedam principia in determinanda quae-

quaeſtione vtrum in dato caſu in iudicio proxime ſuperiori ſiue vnius eiusdemque territorii ſiue in ſummis imperii tribunalibus, querela nullitatis inſtitui poſſit nec ne obſeruanda tradantur quam maxime neceſſarium eſſe arbitror. Sententiam igitur ex capite nullitatis in iudicio proxime ſuperiori impugnaturus ante omnia examinare debet an etiam ſumma appellabilis lege determinata adſit, qua enim deficiente regulariter denegata eſſe cenſetur facultas de nullitate querendi. Deinde etiam, attendendum eſt vtrum in legibus prouincialibus ſpecialia nullitatis ſententiae fundamenta praeſcripta ſint nec ne & hoc caſu nullitas ex iure romano & canonico deriuanda eſt. Poſito nunc, quod in dato caſu ſumma appellabilis & nullitatis fundamentum adſit denique tempus, intra quod ſecundum leges prouinciales inſtituenda eſt querela, obſeruandum eſt. Tempore vero ſpeciali non determinato ſaluum eſt ius ſententias ex capite nullitatis intra triginta annos impugnandi. Quodſi vero nullitatis querela coram eodem iudice inſtituatur, vt ſumma appellabilis adſit non opus eſt, caetera vero requiſita hucusque tradita etiam in hoc caſu probe ſunt obſeruanda.

§. XXXIV.

VTILITATIS PVBLICAE RATIONEM, VT §. 121 ET 122 R. I. N. NOVA LEGE IN VNOQVOQVE TERRITORIO RENOVENTVR POSTVLARE PROBATVR.

Quamquam vero in plurimis territoriis rei iudicatae auctoritati ſubueniendi cauſa tam fundamenta nulli-

nullitatis, quam tempora, intra quae illa sint deducenda, sunt praescripta; tamen nisi eiusmodi leges prouinciales ad modum R. I. N. sint compositae, impossibile plane est, vt optatum effectum producant, iis enim non obstantibus multum pro & contra, ita vt in iis territoriis vbi nihil specialiter intuitu nullitatis determinatum est, disputari potest vtrum in dato casu sententia iniqua tantum sit an vero nullitate laborat. Sic v. g. in illis territoriis, vbi fundamenta nullitatis praescripta sunt, supra hac quaestione disputatur vtrum & alia nullitatis fundamenta sint admittenda nec ne, vt Puffendorff in Introd. in Proc. civ. Part. IV. Cap. V. §. XI. ostendit, vbi traditis diuersis diuersarum Ordinationum Luneburgicarum nullitatum insanabilium fundamentis inquit "*sed etsi Constitutiones nostrae Luneburgicae paucas admodum nullitates insanabiles admittunt tamen ideo minime puto excludi sententiam, quae aut contra falsum procuratorem aut a iudice lata sit, qui de huiusmodi causa omni iudicandi facultate destituitur, vt si secularis iudex in causa ecclesiastica pronunciauerit & vice versa.*" Quae cum ita sint, vt dominia possessionesque priuatorum certa sint nihil magis necessarium est, quam vt §. 121. & 122. R. I. N. in quoque territorio noua lege renouarentur. Fateor quidem fieri nonnunquam posse vt priuati magnum inde damnum sentiant v. g. si iudex aperte contra ius in thesi pronunciauerit, deinde si ex falsis instrumentis iudicauerit &c. Sed respondeo eum contra quem pronunciatum est sibi hoc imputare debere quod hoc casu remedio ordinario deuolutiuo non vsus fuit, deinde non facile contiget vt iudex ita procedat, & hoc supposito verissima denique semper manet illa regula. " Salutem publicam priuatorum saluti esse praeferendam.

AVGVSTI WILHELMI MEYERI D.

COMMENTATIO

DE

NVLLITATE SENTENTIARVM SANABILI ET INSANABILI

R. I. N. DETERMINATA.

Praemissa Theoria generali de Nullitate praesertim juridica.

GOETTINGAE
Litteris FRIED. ANDR. ROSENBVSCH.
1777.